

D. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
OBSERVATIONES  
CIRCA HISTORIAM DENARII  
PETRINI IN SVECIA,  
PROPOSITURA.

---

CUJUS PARTEM SECUNDAM,  
*Conf. Ampliff. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

*Mag.* HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,  
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ. Sc.  
Upsal. &c. Socio,*

Publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES GUILIELM. TUDERUS,  
Wiburgensis.

*In Aud. Majori die XVIII Decembr. MDCCCII.*

Horis a. m. convetis.

---

ABOÆ, typis Frenckellianis.

VIRO

ADMODUM REVERENDO atque PRÆCLARISSIMO

DN. MAGISTRO

**JOHANNI MOLANDER,**

Præposito atque Pastori Ecclesiarum quæ Deo in Ilomantz  
& Eno colliguntur, meritissimo,

AVUNCULO SUO ÆSTUMATISSIMO,

*Ob præstita sibi beneficia longe maxima, in tesseram  
animi gratissimi ac venerabundi, hanc dissertationem sa-  
cratam voluit, debuit,*

ADMODUM REVERENDI NOMINIS SUI

cultor devotissimus

JOH. GUIL. TUDERUS





## PRÆFATIUNCULA.

Cum Clariss. Magister *Henricus Joh. Mechelin*, Præceptor olim meus fidelissimus, mihi significasset, suas rationes non permittere, ut telam Dissertationis, *Historiam Denarii Petrini in Suecia illustraturæ*, cujus priorem partem hic Aboæ ediderat, ipse per-texeret; visum est mihi, Specimen industriæ Academ. edituro, svadente Dn. Præsidente, operæ fore pretium, si in eadem, ordine ab Auctore instituto, persequenda vires tenellas periclitarèr. Quare sequentibus pagellis hoc consilium qualitercunque exsecuti, illius a L. B. mitiorem censuram exspectamus.

---

### §. V.

Tales fuerunt (a), (ut de *Nicolao Cardinali Albanensi*, & *Wilhelmo Episcopo Mutinensi*, postea Card. *Sabinen-*  
A

---

(a) Ediderunt Upsaliæ a. 1763 & 1764. *Joh. Gust. Kier-*

*binensi*, nihil dicamus), *Gregorius de Crescentio*, & *Theodori Diaconus Cardinalis*, *Apostolicæ Sedis Legatus*, a Papa *Honorio III* ad terras *Septentrionales* circa a. 1220 misus. (Vid. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveogoth. Sect. I.* (f. *Recensio Bullarii Romano-Sveogothici*) p. 58. N:o 12. & *Accesf.* ad illam (hic Aboæ ed.) p. 14. N:o 28.).

*Guido tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis*, *Apost. Sedis Legatus*, circa a. 1266 has terras visitans. (Vid. A CELSE, l. c. p. 82. fq. N:o 6 — 15).

*Magister Bertrandus Amalrici*, *Canonicus Remensis* & *Papæ Capellanus*, a *Gregorio X.* circa A. 1274 misus in *Sveciam* & *Daniam*, inprimis ad colligenda ex decreto *Concilio Lugdunensis* subsidia pro *passagio ad Terram sanctam*, nempe *decimam omnium ecclesiasticorum reddituum* & *proventuum per sex annos*: Quem vero, ut plures suos succesores, nec reliquorum reddituum *Papalium* recipiendorum molestiam detrectasse, verisimile est; ac de quo, et corrasa hic per eum pecunia, (præter *LAGERBRING Svea Rikes Hist.*

---

*berg & Laur. Lönner* *Disertationes II*, Præside *Cel. Ekerman*, de *Legatis Nuntiisque Papalibus in Sveciam misis*; quibus supplementum locuples ex indicatis a nobis hac §. fontibus, haurire atque addere licet.



*Hist. II. Del. C. 19. §. 2. & 3, p. 731 — 735) Vid. A CELSE l. c. p. 85, N:o 5, & p. 88. N:o 2. Hunc anno adhuc 1279 in Svecia fuisse commoratum, Pamque de collecto ab eo thesauro in Italiam, ex Portu Scarenfi (fortassis Ludofia, Svet. Lödöse?) per Franciam tuto deferendo, curam gessisse, constat: cf. *Accesf. ad Recensf. Bullarii Celsf.* p. 56. sq. N:o 1.*

*Franciscus Nicolai de Tibertis, Papæ Clementis V Thefaurarius, et Procurator Hospitalis S. Johannis, qui cum Martino de Fugulo, circa a. 1308, pecunias conqvisitum in Septentrionem advenit, (Vid. A CELSE p. 102. N:o 10).*

*Johannes de Serone, vel Serrone (b), Prior Fratrum Ordinis Prædicatorum de Figiaco, & Magister Bernardus de Ortulis (c), Rector Ecclesiæ S. Mariæ de Novalibus, ille Caturienfis, hic Electenfis Dicecefium, de rebus procurandis pecuniariis illi quoque ab eodem Pontifice, circa a. 1316 — 1326, Nuntii in Sveciam ablegati: (Vid. A CELSE l. c. p. 109. sq. N:o 16, 17, 18. Cf. *Accesf.* p. 74 sq. N:o 8. & p. 132.)*

A 2

Bern-

(b) A CELSE habet etiam *Senone*, quod vitio deberi fcriptionis, putamus.

(c) H de *Hortulis*? Scribitur etiam *Ortolis & Ortalis*, vitiofe.

*Bernhardus de Monte Valrano, Archidiaconus Sicilonia in Ecclesia Bituricensi, cui Nuncio suo Papam Johannem XXII, circa a. 1322, cum negotium colligendi Nummi Petrini, tum aliorum reddituum cameræ Apostoliæ vindicatorum exigendorum, demandasse, reperimus: (Vid. A CELSE l. c. 108. N:o 14. & ad ejus opus Accesf. p. 73. N:o 6. & p. 132).*

*Petrus Gervasi, Canonicus Vivariensis, quo idem Papa, diligens reddituum Apostolicorum conquisitor, ad negotia sua pecuniaria hic curanda Nuntio, circa a. 1328 — 1333, utebatur; (Vid. A CELSE l. c. p. 112 — 114, N:o 24. sq. Accesf. p. 78. & 132. ac Annot. ad M. Pauli Juusten Chronicon Episcoporum. Finland. p. 789, sq).*

*Johannes Guilaberti, (quem alibi etiam Philaberti vel Lamberti vocari docet A CELSE), Decanus Tarbatensis & Canonicus Virdunensis, in Regnis Daciae (Danicæ) Sveciæ ac Norvegiæ, Apostolicæ Sedis Nuncius & Collector omnium (&) singularum quantitatum, Pecuniarum, bonorum, jurium & rerum quarumlibet aliarum, ad Romanam Ecclesiam sive Cameram Apostolicam pertinentium, Papæ Clementis VI. & Innocentii VI. jussu, circa a. 1346 — 1360, hoc munere fungens. (Vid. A CELSE l. c. p. 120 — 127. N:o 14, 18, 21, 22, 24, 25; porro 6, 7, 8, 13, 14, 16.*

*Ray-*



*Raymundus de Galancio, Nuncius Papæ Innocentii VI. circa a. 1353 ad regna hæc aqvilonaria. (A CELSE p. 124. N:o 2).*

*Henricus Biskop, Præpositus Lubecensis, ejusdem Papæ Capellanus & Nuncius a. 1360 — 1362. (Vid. A CELSE p. 127, N:o 16 & 20: cf. p. 128. N:o 4).*

*Rogierius, Nuncius Apostolicus (Papæ Urbani V.) circa a. 1363. (Vid. A CELSE pag. 128, N:o 4).*

*Guido de Cruce, juris peritus, Rector Ecclesiæ S. Andreæ de Exociis Mirapicensis diæceseos, Capellanus Papæ, & Apostolicæ Sedis per tria regna Septentrionalia Nuncius & Collector, (denarii Petrini, &c.) circa a. 1364 ab Urbano V. missus. (Cf. A CELSE l. c. p. 128 — 131. N:o 3, 6, 9 — II. & PERINGSKÖLD Monum. Upland. T. II. p. 149.)*

*Henricus Episcopus Slesvicensis, Nuncius per regna Daciæ, Sveciæ, & Norvegiæ, Collector Sedis Apostolicæ (Gregorii XI.) circa a. 1372 & 1373 constitutus. (A CELSE p. 133 sq. N:o 3. 5 — 8.) Qui Subcollectoribus usus est cum Engelberto de Oyen, Canonico Lubecensi, tum Henrico Velsceden, Capellano suo. (ib. p. 133 & 134. N:o 5 & 7.)*

*Pileus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Nuncius, per Aqvilonares partes, Sedis Apostolicæ (Urbani*

*bani VI*) circa a. 1378: qui tamen, an ipse huc accesserit, valde dubium est. (A CELSE p. 138 N:o 3).

*Johannes de Castignollis, Abbas Claravallensis, Commissarius & Collector Apost.* (ejusdem Papæ) per regna Daciæ, Sveciæ & Norvegiæ, circa a. 1380. (A CELSE p. 143, N:o 24).

*Philippus de Alenconio, Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legatus a latere (Bonifacii IX)* circa a. 1395: qui *Subdelegato & Nuntio speciali* utebatur *Dethberno Hevenstridt, Ecclesiæ Othoniensis Præposito*. A CELSE p. 153, N:o 23).

*Ludovicus de Ballionibus, Mercator Perusinus, Nuncius & Collector Apostolicus*, cui, vacante licet (tempore Concilii Constantiensis) Sede Apostolica, Romanæ tamen Ecclesiæ & Concilii generalis nomine necessaria hæc colligendarum pecuniarum cura (a. 1413-1417) erat commissa, quique *Johanne Grote, Clerico Slesvicensi*, pro *Subcollectore* utebatur. (Vid. A CELSE l. c. n. 168 N:o 3-6.)

*Bartholomæus Episcopus Coronensis, Nuntius & Orator ad Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ & Gothiæ, regna &c. pro nonnullis Papæ & Romanæ Ecclesiæ negotiis*, circa a. 1451 (a Nicolao V missus.) Vid. *Access. ad Rec. Bullarii Celsianam*, p. 103.



*Marinus a Fregeno, Nuntius Apostolicus (Pii II.) pro Indulgentiis - - - per Sveciam & alias orbis Christiani regiones specialiter deputatus, circa a. 1460. (A CELSE p. 197, N:o 3. Cfr. Diss. Joh. Gust. Kinberg, supra indic. §. XII.)*

*Bartholomæus de Camerino, Nuncius Apost. (Sixti IV) circa a. 1484. (A CELSE p. 200 sq. N:o 17 & 18. Kinberg l. c. §. XIV. & Diar. Vadstenense p. 143.)*

*Antonius Mast, Protonotarius Papæ Innocentii VIII & Nuntius Apost. ad has partes circa a. 1489. A CELSE p. 208, N:o 9, & Kinberg l. c. §. XVI, qui a. 1497 Sveciam adiisse ab Alexandro VI misum dicit, ad Diarii Vadstenensis auctoritatem provocans, ubi tamen p. 150, (Masch vocatus), a. 1490 officio legationis in regno Sveciæ functum esse, docetur.*

*Raymundus Pyrande (Peraldus f. de Perald) Archidiaconus Alnisensis, Sedis Apost. Protonotarius, & Papæ Referendarius domesticus, ad terras has septentrionales Nuntius & Commissarius Apost. (Innocentii VIII circa a. 1490) Vid. Kinberg l. c. §. 15.*

*Andreas, Episcopus Opsloënsis, cui Papa Leo X curam demandavit colligendi per Sveciam, Norvegiam &c. Denarium S. Petri, pecuniasque ad argentariam Lubicensem primum deferendi, hinc per e-*  
jus

ius Directorem Romam transmittendam. (Vid. A CELSE p. 214, N:o I.

*Johannes Heytmers de Zonvelben, Commissarius Papæ (Leonis X) ad Germaniam & Septentrionalia regna, circa a. 1515. (A CELSE p. 215, N:o II & 12. Kinberg l. c. §. XVIII, & SCARIN de Denario S. Petri Diff. II, p. 50).*

*Johannes Angelus Arciboldus, J. U. D. Præpositus de Arsate, Sedis Apostolicæ Protonotarius, ac Leonis P. X. Referendarius, ac ad nonnullas provincias ultramontanas Nuncius & Commissarius, ab eodem Papa missus, a. 1516-1518. (Vid. A CELSE l. c. p. 217 sq. N:o 17-22, & Access. p. 108, 1, 2, 4, 5, 6.*

En ordinem bene longum *hominum peregrinorum*, in pecunia ex his terris vario nomine (*d*) corradenda & Romam deportanda, assidue occupatorum! Præter quos, fuisse etiam aliquos quorum nomina ad nostram non pervenerunt notitiam (*e*), probabile est.  
Si

---

(*d*) Nempe minime hi omnes, *Nummi tantum Petri* colligendi gratia huc advenerant: aliis plerique reditibus inhiabant, uberioribus, ex *Decimis, Dispensationibus, Indulgentiis* &c. provenientiibus: sed neque eos, *Census Petri* omnino neglexisse curam, plurima exempla docent.

(*e*) Sic in Bulla Papæ *Johannis XXIII, Kal. Jun. Pontif. II*, ad Episc. *Petrum Arosiensem* missa, inter e-



Si non omnes Sveciam ipsi adierunt, tamen & *Subdelegatos* & *Subcolletores* suos huc mittere non neglexerunt (f), & sic dictas *Procuraciones* sive certam sibi, ut *Legatis Pontificiis*, dum hoc munere fungerentur, debitam pecuniam, exigere haud intermiserunt (g): quæ omnes artes, ad credulos nostros majores bonis suis turpiter spoliandos, vehementer contulerunt.

## §. VI.

Quod supra significatum fuit (a), Pontifices hanc  
 B pecu-

os, qui *taxis Romanæ camerae* debitis colligendis deputati fuerant, *Hereticæ* etiam *pravitatis Inquisitores* recensentur. (Vid. A CELSE l. c. p. 164. N:o 6.).

(f) Præter eos adjutores, quos ex Svecis ipsis, utpote rerum patriæ suæ diligentiori cognitione instructis, hic sibi adjungebant. (Cf. supra p. 20 Not. (i)).

(g) Sic debebat *Clerus Svecanus* pendere *Raymundo de Galancio* "duos florenos boni auri & magni ponderis & cunei Florentini, pro singulis diebus, quibus dictum *Raymundum* eundo, morando & redeundo prosecutionem negotiorum in litteris Apostolicis expressorum insistere contigerit." (Cf. A CELSE l. c. p. 124 N:o 2). Et quamvis *Cardinalem de Alenconio Sveciam* haud adiisse, nisi per *Subdelegatum*, constet; tamen erat ei *Procuratio* pendenda, (ib. p. 153, N:o 23 & 24); quomodo Pontifices amicis suis reditus haud spernendos comparabant.

(a) §. I, p. 3.

pecuniam initio modeste callidaque diffimulatione adhibita, tanquam voluntarium fidelium donum expectiſſe, mox vero debiti nomine ſuperbe exegiſſe, id vel collatæ inter ſe Bullæ *Anaſtaſii IV* (anno, ut putatur 1153) & *Innocentii III* (a. 1204 data), fidem faciunt. In *illa* ad Regem & Proceres Sveciæ ſcribit Pontifex: "Cenſum autem, quem in argumentum devotionis veſtræ beato Petro *de terris veſtris* (b) perſolvendum annis ſingulis ſtatuistiſ, fratribus noſtris Episcopis tribui faciatis, ut per eos Sedi Apoſtolicæ transmittatur: quem proſecto non tam ad noſtram utilitatem, quam ad ſalutem animarum veſtrarum (!) exigimus, dum vos (per?) internæ devotionis obſequium, beati Petri cupimus patrocini-um obtinere" (c). In *hac* (d) autem Papa (ſuper-

(b) Non tam *de toto regno* hæc agere verba videntur, quam id quod ſupra (§. II, p. 7) obſervatum fuit confirmare, nummum *Petrinum* apud maiores noſtros non viritim, ſed *ex quovis agricultore*, fuiſſe exactum.

(c) Vid. ÖRNHJELM *Hiſt. Sveonum Gotborumque Eccleſ.* p. 423.

(d) Qua ſuperior adhuc (omni reſpectu) eſt, quam *Adrianus IV* (qui auctor ipſe fuit Concilii Lincopenſis, cui Cardinalis *Albanenſis* nomine præfuit, quoque durum dominationis Papalis jugum Svecorum humeris impoſuit), mox poſt reditum ex Septentrione Papa factus, ad Regem Sveciæ *Carolus Sverberidem* mi-



perbæ dominationis studio famosus) *Andreas* Archiep.  
Lundenſi hujusmodi dat mandatum: "Iſtud onus pro  
"nobis aſſumas, ut cenſum b. *Petri* per regna Da-  
"niæ & Sveciæ fideliter colligas, & reserves ipſum  
"nobis, per fidelem nuncium tranſmiſſurus: --- Ut au-  
"tem hujusmodi plenius & liberius poſſis efficere,  
"plenam & liberam tibi concedimus facultatem, ut con-  
"tradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam,  
"appellatione remota compellas (e). Quas ejus minas  
B 2 "effe-

---

ſit, hujusmodi verbis uſus. "Dudum ſine dubio tua pru-  
"dencia novit, Gothorum regnum, a quo Chriſti nomen  
"ibi agnitum erat, *potenti Apoſtolorum Principis e-*  
"*juſque Suceſſorum ſubditum fuiſſe, Gothosque ſceptra*  
"*ſua pedibus b. Petri devote ſubjeciſſe, ac eo nomine ec-*  
"*cleſiæ Romane fideles* (h. e. ſubditos) *factos fuiſſe, cui*  
"*annuum tributum haſtenus demiſſe ſolverunt.* Tuam  
"igitur prudentiam *paterna charitate moti* admonemus,  
"ut *ſine mora*, quod ſanctæ & univerſali matri juſte  
"debetur, per *preſentes* mittatur." Cfr. A CELSE l. c.  
p. 35, N:o 3, qui tamen *Banckium* (*de Tyrannide Pa-*  
*pæ* p. 420) ex quo ejus notiſſimam hauſit, dubitare ſi-  
gnificat, an genuina haberi debeat; nobis rationes  
dubitationis ſuæ parum validas *Banckius* attuliſſe vi-  
detur.

(e) Vid. A CELSE l. c. p. 19, N:o 7. Ipſæ litteræ ſu-  
perſunt inter epiſtolas *Innocentii III* a *Baluſio* editas  
(locum non invenimus) teſte *LAGERBRING Svea Ri-*  
*kes Hiſt.* II Del. C. 14, §. 1, p. 415 ſq.

"effectu non caruisse, missæ ad Proceres Sveciæ (a. 1216) litteræ, quibus gratias iis agit *pro soluto liberaliter & devote*, sicut Archiepiscopus (Upsaliensis) insinuaverat, *censu denarii S. Petri*, de quo ulterius statis temporibus erogando, admonentur. (Vid. A. CELSE l. c. p. 54, N:o 23. Ipsas literas exhibet SCARIN (*de Denario S. Petri*) Diff. II, p. 34.

Neque successores suos minus imperiose jus hoc suum urfisse, vel ex Bulla patet *Honorii III*, Dat. *Laterani III Non. Jan. Pontificatus anno V*, (3 Jan. 1221) mox adferenda, qua *excommunicationis sententiam* ab Episcopo Arosiensi ferendam, illis minatur, qui Censum Apostolicæ Sedî debitum solvere detrectent. (Vid. A. CELSE p. 58, N:o 14).

### §. VII.

In quantum Censûs hujus pendendi necessitas, communi Regis Ordinumque Regni consensu admiffa, de majestate atque independentia Imperii Sveo-Gothici aliquid detraxerit, aut Rempublicam Sedî Romanæ jure quodam clientelæ subjecerit? disputari queat. Ac Papas quidem, pro infinita sua & impudenti dominandi cupidine, hoc vere fovisse consilium, dubium non est: qui tributî hoc genus, callide majoribus nostris elicîtum, pro civilis cujusdam obsequii, sibi obligati, argumento interpretari atque venditare,

re,



re, non verebantur. Fidem facit Bulla *Honorii III*, nuper commemorata, non minus insidiose quam arroganter scripta, in qua "se non modicum mirari," dicit, *Suecos, quos ex censu, in quo Sedi Apostolicæ tenentur annuatim, appareat manifeste, esse Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ filios speciales, qui ob hoc speciali ejusdem protectione ac patrocinio gaudent, censum ipsum jam a quinquennio & amplius, licet ab Episcopo Arosiensi requisitos, in animarum suarum periculum solvere neglexisse. Ut igitur divinam & b. Petri, cui Censum debetur hujusmodi, evitarent offensam, eos monet & hortatur in Domino, in remissionem iis peccaminum injungens, ut Deo & Apostolicæ Sedi satisfaciendo congrue de subtracto, sic deinceps censum ipsum hilariter persolvant, ut Dei, qui datorem hilarem diligit, gratiam consequantur, & Apostolicæ Sedis favorem mereantur. Alioquin minatur, se sententiam, quam idem Episcopus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habiturum, & facturum, Auctore Domino, inviolabiliter observari" (a). Quis non animadvertat, quam artificiose limites potestatis civilis & ecclesiasticæ hic confundantur, & malæ causæ præsidia captiose quaerantur? Unde nec oblatas sibi occasiones Pontifices*

B 3

Roma-

---

(a) Habetur Bulla hæc apud VASTOVIVM *Vitis Aquil.* (Ed. Colou.) p. 172. Cfr. A. CELSE l. c. p. 52, N:o 14.

Romani postea amplecti neglexerunt, jus suum præ-  
tensum tuendi: quale exemplum præbet Historia R.  
*Erici XI (balbi)*, cujus personam cum regno & omni-  
bus honoribus & justitiis, sub b. Petri & sua prote-  
ctione Papa (*Honorius III*) suscepit (b). Quare nec  
mirum est, si R. *Valdemarus*, in suis illis angustiis,  
ad Papæ auctoritatem confugit, quem hic (*Grego-  
rius X*) dicit in litteris supplicatoriis ad Papam hac  
de re scriptis confessum fuisse, quod præter Roma-  
num Pontificem nullum superiorem, regnum autem Sve-  
cicæ Sedi Apostolicæ censuale, agnosceret (c). Quo-  
modo etiam R. *Carolus Canuti*, de regno minus fe-  
liciter dimicans, contra *Christianum I* ad Sedem A-  
postolicam appellavit (d). Quos nemo non videt  
turbarum internarum vi & rebus duris ad consilium  
amplectendum, quod nec nisi in summo periculo con-

---

(b) Vid. A CELSE p. 61, N:o 23. Integram Bullam,  
datam Reate II Id. Aug. Pontificatus a. X. (die  
12 Aug. 1225) exhibet VASTOVIVS l. c. p. 174. Cfr.  
LAGERBRING l. c. P. II, C. XII, §. 24, p. 334.

(c) Vid. A CELSE l. c. p. 86, N:o 7. Cfr. LAGERBRING  
l. c. C. 15, §. 25, p. 529 & 531, Not. (3) ubi tota  
Bulla legenda exhibetur.

(d) Vid. *Access. ad Rec. Bullarii Cels.* p. 103 sq. N:o 3.  
Ubi Bulla Papæ (*Nicolai V*) hanc rem confirmans (da-  
ta Romæ 1452 1 Apr.) recensetur. Cfr. LAGERBRING  
l. c. P. IV, C. 8, §. 19, p. 464.



constituti ipsi capturi fuissent, nec legibus regni consentaneum erat, fuisse adactos. Nam populum quidem Svecanum, cum ad censum Petrinum Pontifici Romano, ut summo Religionis antistiti, concedendum pelliceretur, de civili aliquo imperio peregrini principis, cui patriam suam manciparet, ne somniasse quidem, vel ipsa Bulla Papæ *Anastasi* IV. supra commemorata, antiquissimum hujus rei monumentum, testatur; nec postea majores nostros unquam in talem subjectionem solenniter consensisse, manifestissima radiat luce. Quamobrem neque Pontifices illius generis imperium, nisi per occasiones sibi opportunas, Reipublicæ autem calamitosas, quasi ex insidiis exercere tentasse, nec Censum ipsum nisi reluctanter, interrupte & precario quodam modo, ut ecclesiasticum non civile tributum, fuisse a nostris solutum, reperimus. Itaque nec nisi ecclesiasticis armis illud Papa extorquere conatus fuit, nec vel ullum jurisdictionis civilis genus in nostros sibi arrogare, vel umbram ullam Homagii a Regibus nostris exigere, quamvis impudens esset, instituit. Ita ut neque ex verbis literarum Papalium temerariis & superbis, neque ex Regum quorundam, adversis rebus pressorum, consiliis præcipitibus, vere Patriam nostram Pontificum clientelæ sese submisisse, concludere liceat. Cfr. LAGERBRING l. c. Part. II, C. XII, §. 24, p. 334.

---